

si prout subjectum voluntati, et sub ipsa positivum (sic enim spirituale denominatur prout spiritui subjectum, sicut dicitur corpus spirituale 1 ad Corinth. xv, id est, spiritui conformatum) ita oportet quod voluntas habeat bonum proportionatum sibi, et discretum a bono appetitus. Si ergo ad rationem pertinet hoc discernere, et vivere quando objectum ipsum est moderatum, aut quando excessivum, et solum ipsi appetitui conforme, oportet quod ipsa ratio sit regulativa, et mensurativa talium actuum, et objectorum, quæ voluntati proponuntur. Et sic ex ipsis verbis D. Thomæ colligitur non semper rationem esse regulativam, licet semper proponat objectum voluntati, quia non semper proponit objectum proportionatum, sed aliquando defectuosum. Tunc ergo regulat, et mensurat quando proponit objectum proportionatum voluntati.

XXV. Unde autem discerni debeat, quod objectum proportionatum sit, et quando, aut quomodo? Neque hoc prætermisit S. Thomas dum inquit solutione ad secundum in hoc articulo II, quæst. xix: «Quod in his, quæ sunt ad finem rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitivum finis debiti (id est, ad intentionem recti finis) ipse autem appetitus finis debiti præsupponit rectam apprehensionem de fine, quæ est per rationem.» Itaque omne objectum proportionatum voluntati, et per rationem regulatum, et propositum, aut est finis, aut aliquid ordinatum ad finem, sive sit medium, sive finis inferior, et subordinatus fini ultimo. Si sit medium, vel finis subordinatus alteri fini, illud erit proportionatum objectum voluntatis, et bonum, quod præsupponit intentionem boni finis, eique conformatur, et adæquatur. Et hoc pertinet ad prudentiam, quæ dispõ-

nit de his, quæ sunt ad finem. Et sic philosophus cum dicit sexto ethicorum, quod veritas intellectus practice sumitur per conformitatem ad appetitum rectum, loquitur de vero pratico, seu de bono convenienti in his, quæ sunt ad finem, horum enim bonitas, et moderatio, seu proportio penes ordinem ad bonitatem illius finis desumitur. Si vero objectum proportionatum voluntati, et regulatum ratione sit ipsemet finis, ille finis dicitur bonus, et proportionatus voluntati, qui est beatitudo hominis, et juxta universalia principia practica manifestatur conveniens, quod fit per syndæresin, quæ est habitus primorum principiorum, et ostendit nobis felicitatem naturalem, quæ est vivere secundum illam legem, et præcepta illa rationis. Et hæc principia, seu lex naturalis, et præcepta, quæ sunt propria hominis, ut homo est, manifestantur a Deo per impressionem luminis naturalis in ipsa syndæresi manifestati, juxta illud Psalm. iv: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et hic finitur omnis mensuratio bonitatis moralis in hoc ordine naturali. Nam supra hunc ordinem est alius supernaturalis per fidem regulans actus ad finem supernaturalem, qui est nobis indebitus, scilicet ad Deum clare visum, et in ordine ad illum accipiunt bonitatem moralem supernaturalem.

XXVI. Ex his colligitur, quomodo concurrat ad constituendum actum bonum ratio, ejusque objectum quod dicitur rationi conforme, lex divina seu æterna, voluntas divina, intentio recta. Nam ratio nostra, id est, potentia ipsa intellectus, quæ est ratio, concurrat ut applicans, ut manifestans ipsam regulam, seu ut mensurator. Objectum concurrat ut principium specificum actus, et sic

continens in se proportionem, et moderationem regulæ rationis, eamque communicat actui ut specificato, et dependenti a se. Dicitur autem objectum hoc proportionatum, et conforme rationi, non quidem rationi nostræ, ut proponenti, et applicanti, applicans enim in quantum tale non est forma, et exemplar, seu regula, sed supponit eam, et solum eam applicat; sed conforme rationi, ut formatæ per syndæresim, per prudentiam, per præcepta divina, seu ut subjecta, et subordinata ipsi dictamini divino, et legi, quæ est superior regula, ut statim dicemus. Et dico rationi ut formatæ, et sic subordinatæ illi dictamini et legi, quia non requiritur quod actus conformetur immediate ipsi legi prout in re, sed ut relucet in ratione nostra proponente, eo quod ratio nostra proponens est unicum medium, et via per quam derivatur ad nos lumen divinum, et lex seu præceptum Dei, juxta illud Psalm. iv: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Unde si ratio sic formetur, quod manifestet aliquid tamquam præceptum divinum, aut tamquam conforme legi, licet in re non sit, si tamen discordet ab eo voluntas peccat, quia id quod repræsentatur ut bonum, tenuit ut postea sequenti disputatione amplius declarabitur.

XXVII. Similiter lex æterna, seu divina concurrat ut mensura, et regula bonitatis in voluntate, nam summa rectitudo eorum omnium, quæ agenda sunt est dictamen divinum, et sic per conformitatem, et ordinem ad ipsum maxime rectificantur actus, cui tali legi subduntur autem omnes actus humani, quia de omnibus habet judicare lex divina. Nomine autem legis divinæ duo intelliguntur. Primo quidem dictamen, seu iudicium divinum de agendis, scilicet hoc esse conveniens

et bonum, illud malum; secundo vis coactiva, seu obligativa pro præceptis rigorosis, et consultativa pro his, quæ solum cadunt sub consilio, sunt tamen bona, quia licet non facere illam non sit contra legem, tamen facere est maxime secundum legem, quatenus abundantius, et perfectius finem legis attingit, et id adimplet quod lex præcipit, sicut magis adimplet legem, qui virginitatem servat, quam qui solum non adulterat; et abundantius servat præceptum non furandi, qui etiam sua omnia dat pauperibus. Cum autem lex divina, et dictamen divini intellectus sit suprema mensura, et regula humanorum actuum, oportet quod applicatio ejus ad nostros actus fiat mediantibus particularibus regulis, et mensuris. Nam et leges positivæ derivatæ a superioribus sunt regulæ nostrarum actionum, quia de eis habent judicare, easque possunt præcipere, sed quatenus in hoc subordinantur legi æternæ et ab ea derivantur. Et lex naturalis, quæ pertinet ad universalia principia practica, quæ attinguntur per syndæresim est regula nobis magis nota, et magis univoca, et conjuncta nostris actibus, quam lex æterna, cujus impressio quædam est lex naturalis, quæ est lumen vultus Dei signatum super nos. Et istæ leges operantur, et mensurant in vi legis æternæ, quæ est summa, et prima rectitudo, et a qua deviare debet omne peccatum, si vere peccatum est, juxta Augustinum definitionem quod: «Peccatum est dictum factum, vel concupitum contra legem æternam.»

XXVIII. Statim vero se offerebat illa difficultas, quia aliqua peccata sunt ita intrinsece mala, ut etiam nulla lege stante (ut si Deus nollet quidquam præcipere, præcipere enim actus liber est) adhuc mala sint, sicut odium Dei, mendacium,

etc. eo quod hæc malitia illis essentialis est; ergo aliqui actus morales in quantum tales non dependent a lege æterna. De hac difficultate tractabitur infra circa quæstionem LXXI.

XXIX. Breviter dicimus, quod si non daretur lex formaliter quantum ad actum præcipiendi, qui liber est in Deo, adhuc daretur lex radicaliter, scilicet illud dictamen divinum rejiciens talem actum ut malum, et reprobans in suo iudicio, ex quo ut ex radice, et principio sequitur prohibitio illius. Quod si per impossibile fingeremus quod non daretur illud dictamen, seu lex radicalis, tunc odium Dei non esset odium Dei, nec remaneret ullum peccatum, quia sublato illo dictamine, et iudicio Dei, non esset Deus quia illud dictamen necessario, non libere est in Deo; si enim non sic iudicaret Deus, veritas in eo non esset, et negaret seipsum, quod est impossibile. Remoto autem, et destructo Deo, quid mirum quod non remaneret peccatum?

XXX. Dicitur quarto concurrere ad bonitatem actus voluntatis nostræ divina voluntas, quia tenemur voluntatem nostram conformare divinæ voluntati; tum per imitationem, quia est summa bonitas; tum ut præcipienti, et obliganti, quia est summa justitia, licet enim imperium, et lex, seu dictamen sit actus intellectus, et ad iudicium pertineat, proxime, et formaliter debet tamen derivari, et oriri ex voluntate quantum ad efficaciam movendi, et obligandi, et ita voluntas illa non ponit in numero cum lege divina, quia lex ab ipsa voluntate mediate descendit, et inde efficaciam habet, præsertim cum illa voluntas sit ipsa summa rectitudo, nec possit ullo modo deficere. Unde tam regulativa est voluntas, quam ipsum dictamen intellectus cum intellectus di-

vinus: *Operetur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ut dicitur ad Eph. I. Ex parte etiam imitationis sumit actus nostræ voluntatis bonitatem moralem ex voluntate divina tamquam ex summa bonitate, quæ est principium, et radix, et primum exemplar bonitatis nostræ. Unde dicitur per prophetam: *Sancti estote quia ego sanctus sum*. Et sic per conformitatem, et assimilationem ad voluntatem Dei voluntas nostra bona est, et hoc desiderare, et petere debemus ut faciamus ejus voluntatem, sicut in oratione Dominica petimus: *Fiat voluntas tua*: et II Macchab. I: *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti*. Quomodo vero hoc intelligatur de volito formali, an etiam de materia divinæ voluntatis, ut ei conformari teneamur, postea dicitur.

XXXI. Denique quinto concurrunt bona intentio tamquam principium et regula bonitatis actus, non quidem respectu omnis actus voluntatis, sed respectu eorum actuum, qui versantur circa media, et circa ea quæ sunt ad finem. Nam tales actus in sua bonitate mediorum dependent a fine recto et debito, media enim ex proportionem ad finem bonitatem sortiuntur, et ea quæ sunt ad finem ex ordine ad finem sumunt bonitatem. Finis autem attingitur per intentionem, et sic a recta intentione dependet bonitas actus circa media tamquam a regula, quia finis est mensura in ordine ad quam media sumunt proportionem, et contemperationem, atque adeo bonitatem. Et sic docet D. Thomas in articulo VII, quæst. XIX, quod ex intentione antecedenti actum dependet bonitas talis actus, quia derivatur ab intentione, et finis est ratio eliciendi talem actum. Si vero intentio superveniat actui jam elicito, non potest bonitatem ejus regulare

intentio superveniens, nisi iterum repetatur ille actus. Et hæc sint dicta de modo quo ista principia regulant, et mesurant bonitatem actuum voluntatis.

XXXII. Ad difficultates vero in contrarium allatas respondetur. Ad primam dicimus rationem concurrere ad bonitatem actus voluntatis, ut proponentem, et ut regulantem. Et quidem propositio intellectus solum se habet ut conditio, sine qua objectum movere non potest, quia non movet nisi ut cognitum et manifestatum. Et in hac linea, seu ordine ratio non se habet ut mensura, sed ut mensurator, seu ut applicans mensuram. Et licet de se sit indifferens ad proponendum bonum, vel malum, tamen non se habet ut conditio ad mensurandum bonum, nisi prout determinata ad objectum bonum, et quatenus proponit illud et applicat, sicut qui potest bene vel male mensurare, non est bonus mensurator, nisi prout determinatur erga bonam mensuram, et in illa mensurat. At vero ratio ut regulans non est ratio, ut præcise proponens seu manifestans, sed ut formata principii universalibus syndæresis, vel particularibus prudentiæ, et præceptis legis æternæ, eisque et divinæ voluntati subordinata, et sic formans iudicium et dictamen de regulatione debita actui, vel absolute et in re, vel supposita aliqua ignorantia invincibili, quæ eodem modo operatur ratione apprehensionis, ac si in re esset id quod proponitur.

XXXIII. Et ad secundam instantiam dicimus utrumque verificari, et quod ratio est recte regulans, quando proponit objectum regulatum lege æterna, eique et divinæ voluntati conforme; et quod ratio est recta, quando est conformis appetitui recto. Sed hoc secundum solum currit respectu actus electionis, seu qui versatur erga media,

seu erga ea quæ sunt ad finem, talis enim actus debet conformari rectæ intentioni, quæ vocatur appetitus rectus. Illud vero primum, scilicet conformitas ad legem æternam, et voluntatem divinam pro omni actu requiritur, tam circa media, quam circa finem; tam in actu interiori, quam exteriori, quia omnis actus humanus et moralis subicitur legi, et voluntati Dei.

XXXIV. Et cum instatur, quod potest ratio proponere contra legem ex errore invincibili dicimus, quod non potest proponere contra legem formaliter, sed materialiter, id est, contra legem ut in se et in re, non contra legem ut existimatam, seu manifestatam, sub quo statu et conditione tantum potest lex operari et mensurare, non secundum se præcise ut in re, et nondum ut manifestata. Et Jacob in illo iudicio de accessu ad Liam tamquam ad suam erravit speculative circa factum, non practice, neque circa factum, neque circa legem. Non circa legem, quia lex ad legitimam uxorem non prohibet accessum, et ille existimabat esse legitimam: non circa factum, quia etsi illud iudicium et apprehensio, qua putabat istam esse legitimam uxorem, comparata et regulata ad id quod erat in re, esset falsa (quod pertinet ad veritatem speculativam, quæ mensuratur penes id quod est, vel non est) tamen comparata et regulata penes motiva, et media quibus habere poterat notitiam, an hæc esset uxor sua, erat practice vera, quia non constabat illi ex ullo motivo, aut medio esse aliam, et omnes circumstantiæ vel media, ex quibus talis notitia accipi poterat monstrabant esse suam, et illa introductio alterius loco propriæ uxoris fuit illi penitus ignota. Prudentia autem, et ejus veritas non regulantur penes id quod est, vel non est in re, sed penes media et

circumstantias, ex quibus notitia de re hauriri potest, si enim ista concurrunt formatur prudens iudicium de re illa, et est iudicium verum prudentialiter et moraliter, licet sit falsum speculative, et entitative, quia veritas speculative mensuratur penes esse, vel non esse objecti in re, veritas autem prudentialis, et practica penes motiva seu media, aut circumstantias ex quibus communiter, et humano modo solet accipi notitia, his enim stantibus, et non constando alias quid in re sit, formatur iudicium penes illa, non penes esse, vel non esse rei. Omnia autem ex quibus poterat Jacob formare apprehensionem, quod illa erat uxor legitima concurrebant, et nulla ex quibus posset iudicare esse suppositam. Unde prudenter vere iudicabat esse uxorem, licet falso speculative.

XXXV. Ad tertiam instantiam dicitur, quod regula falsa non potest causare actum regulatum bonum, si sit falsa in eo in quo est regula, scilicet in veritate practica, et in ipsa ratione prudentiæ, ita quod sit imprudens. Si autem solum sit falsa speculative, practice autem, et prudenter vera, quia secundum regulas prudentiæ formatur, bene potest regulare et mensurare actum bonum, quia in eo in quo est regula, falsa non est, sed adæquata et vera.

### ARTICULUS III.

*Quomodo intentio in sua bonitate et malitia dependeat ex bonitate, et malitia electionis, vel e contra?*

I. Cum actus interior sit intentio, quæ est circa finem, et inde derivetur ad actum exteriorem, seu imperatum, qui est electio, ejus bonitas vel malitia, et e contrario etiam

ex mala electione consecuta vitietur intentio, oportet explicare duo. Primum, quoad ipsam bonitatem vel malitiam, quomodo ad invicem communicetur ab intentione ad electionem, et e converso: secundo, quoad quantitatem, an totum quod est malitiæ, vel bonitatis in ipsa intentione redundet in electionem.

INTENTIO EX PRAVA ELECTIONE VITIATUR; ELECTIO PRAVA EX BONA INTENTIONE MINUITUR, SED NON TOTALITER BONIFICATUR.

II. Non est dubium, quod quando uterque actus, scilicet intentio, et electio, est bonus, vel uterque malus, quod bonitas intentionis in bonam electionem redundat, ut quando quis dat eleemosynam propter finem charitatis, vel religionis, malitia etiam eodem modo derivatur, ut cum quis furatur mœchetur; tunc enim actus imperatus est in duplici specie, altera essentiali ex objecto, altera accidentaliter ex fine, ut late supra ostendimus disp. VIII et IX. Nunc autem specialiter inquirimus, quando una est bona, altera mala, ut intentio bona, et electio mala, quomodo una influat in aliam, vel minuat de alia. Nec modo disputamus, an idem actus simul possit esse bonus, et malus moraliter, de hoc enim jam supra disputatione octava resolvimus non posse, sed supponendo quod sunt actus distincti, exterior et interior, intentio et electio, inquirimus, quomodo intentio bona fiat prava ex electione, mala inde secuta, et quomodo diminuat, aut tollat aliquid de ejus malitia.

III. Dico ergo primo: Intentio, seu actus interior, qui ex fine suo est bonus, ex prava electione consecuta vitietur, quotiescumque influat in illam, et est causa illius, sicut verbi

gratia qui furatur ut det eleemosynam. Hæc conclusio generaliter docetur a D. Thoma in hac quæstione XIX, art. VII, scilicet quod quando intentio præcedit electionem, communicat illi suam bonitatem, vel malitiam, secus si sequatur post aliquem actum, tunc enim illi non communicat bonitatem, vel malitiam. Constat autem intentionem præcedere, quotiescumque est causa, et influit in electionem. Et D. Thomam communiter sequuntur ejus discipuli, et doctores, licet aliqui negent intentionem vitari ab electione, alii distinguant. Negat Lorca hic disp. XLII, membro I: distinguunt Vazquez disp. LXVIII, c. I, cum aliis antiquioribus, quos citat, quod actus voluntatis, vel potest esse circa finem in se, vel circa finem in ordine ad media; et iste ordo ad media, vel potest esse in ordine ad media in confuso, vel in ordine ad aliquod medium determinate malum, sive in recto, sive in obliquo respiciat illud. Si primo modo sumatur actus voluntatis circa finem, vel secundo modo circa finem, et media in confuso non vitietur intentio ab electione: si vero tertio modo sumatur, vitietur intentio ab electione mala. Alii ut Medina super quæst. XIX, art. VII, distinguunt de intentione ex qua per se, et necessario sequitur electio mala, et de intentione ex qua non sequitur per se et necessario, sed libere et per accidens. Et primo modo dicit intentionem vitari ex prava electione, non secundo modo, sicque varia dicta D. Thomæ componit, quæ videntur inter se contraria in hac parte.

IV. Nihilominus conclusionem, et sententiam D. Thomæ absolute sequimur, quod quotiescumque intentio influat in electionem, et electio est prava, intentio vitietur, vel potius vitata supponitur, hoc ipso

quod in talem electionem redditur influxiva. Et non loquimur solum in casu, quo uno et eodem actu attingitur finis, et medium; tunc enim manifeste ipse actus attingit malum, quia idem actus attingit malum medium, et bonum finem, ubi autem actus attingit malum, oportet quod malitiam participet a tali attingentia. Sed loquimur etiam in casu quo sunt duo actus, et quilibet attingit suum objectum distinctum, sed tamen unus est causa alterius, sicut præmissæ conclusionis, intentio electionis. In hoc ergo casu dicimus intentionem bonam, seu ex bono fine vitari ex prava electione, non quia ejus objectum attingit, sed quia in eam influat, eique cooperatur. Et quod influat, supponimus eo quod ista electio oritur ex aliquo fine intento, alias fieret a casu, nec esset proprie electio, quia non esset de medio in ordine ad finem, sed casualis quidam actus voluntatis circa tale objectum. Si vero talis electio oritur ex fine aliquo intento, talis finis intentus influat in illam electionem, quia est finis ejus, et si est finis, ergo est causa, et id cujus gratia fit talis electio, ergo influat in illam, quia omnis causa influat in suum causatum, et id cujus gratia aliquid fit, est tota ratio faciendi; ergo maxime est influxiva in talem actum.

V. Nec obstat, quod intentio ipsa boni finis ex natura sua non influat in pravam electionem, sed malitia operantis, abutentis illo bono fine. Nam licet ita sit, tamen hoc solum probat quod illa intentio ex sua specificatione non influat in pravam electionem, neque ex sua specificatione, et objecto est mala, non tamen probat, quod in exercitio non influat in electionem pravam, intentio enim, et quicumque actus voluntatis non operantur, nisi cum subordinatione ad ipsum operantem,